



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

XLVI. Vt nullus auem cum aue capiat, nec cum capiente incedat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

XLIV.

*De manducariis equorum.*

Vtilis res est cunctis , hoc præceptum a nobis constitutum vt indeclinabiliter amodo teneatur. Nullus autem frater facere præsumat manducaria linea vel lanea, idcirco principaliter facta ; nec habeat vlla, excepto profinello.

XLV.

*Vt cambiare vel quærere nullus audeat.*

Nunc aliquid restat, vt nullus præsumat cambiare sua, frater cum fratre , sine licentia magistri ; & aliquid quærere , nisi frater fratri , & sit res parua, vilis, non magna.

XLVI.

*Vt nullus auem cum ave capiat, nec cum capiente incedat.*

Quod nullus auem cum ave accipere audeat nos communiter iudicamus: non conuenit enim religioni sic cum mundanis delectationibus inhærere, sed Domini præcepta libenter audire , orationibus frequenter incumbere, mala sua cum lacrymis vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri. Cum homine quidem talia operante , cum accipitre , vel alia ave , nullus frater remanens hac principali causa ire præsumat.

XLVII.

*Vt nullus feram arcu vel balista percutiat.*

Cum omni religione ire decet , simpliciter , & sine risu, humiliter , & non multa verba , sed rationabilia loqui, & non sic clamosa in voce. Specialiter iniungimus & præcipimus omni fratri professio , ne in bosco cum arcu aut balista \* aut iaculari audeat , nec cum illo qui hoc fecerit ideo pergit , nisi gratia eum custodiendi a perfido gentili : nec cum cane sit ausus clamare vel garrulare; nec equum suum cupiditate accipiendi feram pungat.

XLVIII.

*Vt leo semper feriatur.*

Nam est certum, quod vobis specialiter creditum est & debitum , pro fratribus vestris animas ponere , atque in-

K iij